

rium S. Claræ pro Abbatisa ipsius loci, Venerabilis Domina.... de Mediolano, Neptis D. Raymundi Patriarchæ Aquilegiensis.

De Venzono investito Duci Carinthiæ.

Anno Domini M. CC. LXXXVIII. die Jovis XIX. intrante Februario, investivit D. Raymundus Patriarcha Nobilem Virum D. Meynardum, Ducem Carinthiæ, de Venzono ad rectum & legale feudum Ecclesiæ Aquilegiensis; quod emerat a Vilhelmo de Venzono pro Mille & quingentis Marchis, ut dicebatur.

De impositione VII. solidorum.

Item impositi fuerunt VII. solidi pro quolibet Manfo, & qualibet rota Molendini, &..... & pro Marcha Mobilium, solvenda sub pœna dupli, die Dominico VII. intrante Novembri anno præscripto.

De captione Castræ Muglæ.

Anno præscripto die IV. sive V. intrante Novembri, Castrum Muglæ fuit captum per Venetos, sive datum eis pacto. Locus autem Muglæ inferior prius eis datus fuerat per interiores eodem anno.

De Statuto debitorum.

Anno Domini (a) M. CC. LXXVII. Indictione V. die Jovis V. exeunte Majo, in Civitate Austria in Palatio Patriarchali in Generali Colloquio D. Raymundi Patriarchæ Aquilegiensis cum Prælati, Liberis.... & Nunciis contractum, statutum, & ordinatum fuit: quod quodcumque debitum non requireretur infra quindecim annos, ex tunc peti non possit; & debitor....

De pace inter Dominum Patriarcham Raymundum, & Nobilem Comitem Goritiæ Albertum.

Anno Domini M. CC. LXXVII. Indictione V. die Mercurii IX. intrante Junio, in Civitate Austria in Palatio Patriarchali fuit per Dominos, Waltherobertoldum de Spengimbergh, Joannem de Zucula Patriarchæ; Ugonem de Duino, & Henricum de Pisino, Comitis Alberti arbitros, pronunciata, arbitrando inter eos, firma pax, & concordia perpetua.

Quomodo Raymundus Patriarcha ivit ad Imperatorem.

M. CC. LXXVII. die Sabbati XI. intrante Septembri, arripuit Raymundus Patriarcha Aquilegiensis iter accedendi ad Illustrem Regem Romanorum Rodolphum in Carinthia; exiens de Civitate, & vadens Utinum ad Colloquium, die tunc crastina habendum ibidem. Reversus est in Utinum die IX. intrante Novembri.

Notandum, quod die Lunæ proxime subsequenti, fecit Dominus Patriarcha sententialiter amputari Norando Notario de Faganea manum in Faganea; eoquod, ut ipse Norandus confessus est sine tortura, se ad petitionem D. Rantulfi de Villalta ex parte D. Federici de Cavriaco, D. Rantulfi & Fratrum de Villalta, Matthiussii de Glemona, & Dominorum de Tricano, sub sigillo illorum de Villalta scripsisse quasdam litteras, quæ mittebantur per quemdam Nuncium Lombardum, qui cum litteris captus fuit, & confessus, Domino Archiepiscopo Mediolanensi, qui erat inimicus dicti Domini Patriarchæ, notificando ei, quæ die idem Patriarcha arrepturus erat iter eundi ad Imperatorem Rodolphum: & quod Dominus Comes Albertus

(a) Sic in Codice MS. & infra, absque ullo chronologia vitio.

Goriciæ, quidam Liberi, & Ministeriales de Forojulii mittere intendebant suos Ambasiatores ad dictum Imperatorem contra dictum Patriarcham; & exhortabatur eundem Archiepiscopum, quod mitteret illuc etiam suos Ambasiatores contra eundem Patriarcham.

De captione Castræ Tulmini.

Anno Domini M. CC. LXXVIII. die Martis V. intrante Aprili circa meridiem, acceptum seu captum fuit Castrum Tulmini sub hac forma: Tres erant custodes in Castro, unus quorum infirmabatur. Et quatuor cum saccis intus ferentes arma occulte, ascenderunt, quasi vellent emere bladum, & exportare quod vendebatur. Et cum venissent ad portam Castræ; & invento ibi solo custode, illum ejecerunt de porta: & clausa porta, alio custode superveniente, & volente defendere locum, occiderunt illum, & sic obtinuerunt Castrum.

De Rege O. Bohemiæ interfecto.

Anno Domini M. CC. LXXVIII. Indictione VI. die Veneris VI. exeunte Augusto, interfectus fuit Illustis Vir D. Ottacrus Rex Bohemiæ a suis in exercitu seu conflietu, qui fuit inter ipsum ex parte, & Illustrem Regem Romanorum D. Rodolphum ex alia, nondum coronatum a Domino Papa in Imperatorem.

De terremotu.

Anno Domini M. CC. LXXVIII. die septimo exeunte Aprili, in Festo S. Georgii, fero in crepusculo semel, & iterum circa mediam noctem hora matutinali Fratrum, fuit terremotus tantum, quod quædam Castra ceciderunt, & mortui sunt, qui intus fuerunt.

De mutatione Monetæ.

Anno Domini M. CC. LXXXI. die octavo intrante Junio, mutata fuit Moneta in Forojulio; ita quod ex tunc nova tantum cucurrit.

De impositione lapidis S. Sylvestri.

Anno Domini M. CC. LXXXII. die VIII. exeunte Majo, impositus est primus lapis Ecclesiæ Sancti Sylvestri ædificandæ in terra: quæ diruta fuerat per D. Johannem & Vodolricum fratres de Portis, & eorum fautores. Et fuit impositus per Fratrem Fulcherum Episcopum Concordiensensem, licentia D. Raymundi Patriarchæ.

Quando primo venit aqua fontis in Curiam Patriarchalem, & apud Solarium.

Anno Domini M. CC. LXXXII. die tertio exeunte Augusto, scilicet in nocte præcedenti, venit primo aqua fontis Civitatis apud Solarium, & in Curia Domini Patriarchæ.

De Verra Istriæ per D. Raymundum Patriarcham, Comitem Goritiæ, & Forojulienses, & alios.

Anno Domini M. CC. LXXXIII. in principio Martii, incepit D. Raymundus Patriarcha Aquilegiensis cum D. Alberto Comite, Tergestinis, & Muglensibus impugnare Justinopolitanos, & Venetos Verra; quia Veneti detinebant Justinopolim, & alias Terras Istriæ. Et ex tunc fuerunt clausi portus Venetis per D. Patriarcham in suo districtu, & per Paduanos & Tarvisinos in suis.

Item eodem anno die XI. intrante Julio, in Civitate Austria, in Palatio Patriarchali in Colloquio Generali per D. Raymundum Patriarcham, Prælatos,